

Hippocrates De natura hominis. De victu; De tuenda valetudine; Medicinae lex; Hippocratis iusiurandum; Hippocratis Demonstratio q[uod] artes sunt; Hippocratis invectura [sic] in obtrectatores medicinae. Quae quidem opera ut latine & emedare [sic] legerent. / Curavit Andreas Brentius.

Contributors

Hippocrates.

Publication/Creation

[Rome] : [E. Silber], [1480?] [(Stephan Plannck)]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/g9uvhpyc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ltant me: et
ut caput meū
os meos.

molam i taber
ostiam uocife
tabo et psal
ommo.

uoces meas

Case 2. b. 16.


II
Reichling/556

HIPPOCRATES, De natura hominis. Lex Medicinæ. Jusjurandum. Demonstratio quod artes sunt. Invectiva in obtretores medicinae, et alia opuscula, **Andrea Brentio** interprete. S. l. a. et typ. n. (Romae, Stephanus Planck, ca. 1492). 4. Rom. char., c. sign., 27 ll., 20 ff. n. n. Mit einigen ornamentalen Holzschnitt-initialen. Breitrandiges sehr gut erhaltenes Exemplar mit einigen griechischen alten Randnotizen. Pergtbd. (Roma ca. 1492)

Nicht bei Hain, Copinger, Proctor, Choulant und Schweiger. Reichling II, 556. Kein Exemplar im British Museum. No copy in U. S. A. (according to Winship). Gedruckt mit Type 10 des Stephan Planck.

Sehr seltene physiologische Schrift des Hippocrates, die wahrscheinlich zu seinen echten Schriften zu zählen ist und zu seiner Zeit von **Polybus** ergänzt wurde.

Hippocrates: De natura
hominis
Rom, Silber, (80)



HIPPO
quod a
Bren
4. Ron
initiale
alten F
Niel
Reich
ding to
Seh
zu seine

Et sic per tres de natu hominis
 De iudiciis valitudine
 Medicis lex
 Propositi libandum
 Propositi de iudicio quibus sunt
 Propositi in iudicio in obiectores nichil
 Quis quidem opus ut laque & cunctas legere
 Curia iudicis libandus P. iudicis
 Et sic de iudicio Venetorum Quorum
 Res iudicis a multis et res iudicantibus
 Quis iudicis iudicantibus Dedi ubi
 Et sic de iudicio Venetorum cunctis legat ore iudicis
 Iudicis iudicantibus parva datus

Collegij Asul. Societ. Jesu

aripus

Hippocrates de natura hominis.

De uictu.

De tuenda ualitudine.

Medicinæ lex.

Hippocratis iusiurandum.

Hippocratis demonstratio q̄ artes sunt.

Hippocratis inuectura in obtrectatores medicinæ.

Quæ quidem opera ut latine & emedare legerent.

Curauit Andreas Brentius Patauinus.

Francisco Dedo Venetorū Oratori.

Res uariæ a multis certatim dantur amicis.

Grata recessuro munera Dedi tibi.

Hæc nos; quæ Venetum culto legat ore iuuentus.

Ingeniū nostrī munera parua damus.

Xysto. iiii. Pontifici Maximo An-
dreas Brentius Patauinus. S. P. D.

Cum in exequilam habitationē Oliue-
rii Cardinalis Neapolitani principis mei
locum saluberrimum & amoenissimum
ab urbis frequentia ppter pestilens an-
ni tempus secessissem: ibiq; cum litterario ocio uaca-
re posse sperarem: satis mihi negocii habere uidebar
si integram ualitudinē conseruare licuisset q; ex cō-
muni totius urbis ualitudinis perturbatione pleriq;
pestilentia caderent: aut grauissime egrotarēt eodem
morbo genere afflicti: iccirco me ad Medicoꝝ li-
bros: ex quibus aliquam ualitudinis atq; salutis opē
peterem: euoluendos contuli. In his lecto Hippocra-
tis libro de natura hominis: In quo cum mltā essent
& cognitu digna & ad cauendos morbos ac ualitu-
dinem tuendam maxime pertinētia: placuit q̄primū
latinum facere: q; causæ meæ atq; temporī conueni-
ret: simul etiam ne nostri homines litterarū græcarū
rudes carerēt: tam cōmodo: tanq; salutari libello: qui
esset ueluti summarium ac medicine compendium: in
quo paucis describeret & hominis natura & uenarū
positura & februm species & uictuum genera: quæ
græci dietas appellant: & pestilentia ceterorūq; mor-
borum obseruatiōes atq; remedia. Nec est cur quisq;
neget hæc Hippocratis esse: si considerare uoluerit q̄

breuiter præesse subtiliter argute atq; concinne omnia hic scribatur: ut singula uere uerba singulos sensus habeant qui uidentur tanq; a natura matre in lucem edi: & ueluti a diuino quodam ore manare: cum nihil clarius: nihil certius: nihil ad humanam naturam commodius dici scribiue possit. Adde q; nihil sit insolenter dictum: nihil gloriose scriptum reperitur: quæ quidem omnia summe atq; præcipue Hippocrati laudi tribuuntur. Præterea hic illoꝝ opinio: q; omnes medicorum scholæ: ut ab aliis accipi & ipse legi: fecisse Hippocratem testantur: confutatur q; uno tantum humore hominem constare censebant. Non tamen propterea inficias eo non aliquid ab alio quopiam uiro docto inseri uel addi huic libro non potuisse: ne uideamur ab Aristotele tanto disciplinarum assertore uelle omnino dissentire: qui libro de animalibus tertio: eandem uenarum tractationem: quæ hic est: & eisdem uerbis conscriptam refert ascribitq; cuidam Polybo medico Equidem ut aiunt: Mallem in omnibus malam Aristotelis sequi sententiam q; aliorum optimam. Nolo tamen ita superstitiosus esse: ut nephas committi putem: si existimaretur uiros eiusdem facultatis eadem diuersis in locis tractasse parum uel nihil inter se discrepantes. Sed tenuis ingenii nostri mediocrisq; usus non est scriptorum tantorum uiroꝝ iudicium facere. Quæ facile tu Ponti. Maxime pro singulari ingenio tuo admirabilisq; scientia iudicium

cabis: q̄ uniuersum philosophiæ genus presertimq̄
id q̄ de rerum natura est: amplexus es: qd̄ certe p̄pter
cognitionem existimatur esse cum medendi arte cō
iunctissimum. Non esset tamen surdum quantum
pro exigua ingenii facultate iudicare ualeo. Si tanq̄
Mineræ Phydæ aliquid a Praxitele uel Polycleto
ita dimidiato aut curto Hippocratis libro superindu
ctum quid legeretur aut additum ab aliquo Hippo
cratico medico uel Philosopho. Cuius autē cunq̄ fu
erit hic libellus: hoc sine ulla dubitatione confirma
uerim: talis est profecto: ut quisquis eum frequenter
in manibus tenere & his quæ in eo scripta sunt: pare
re uoluerit: is ab omni morbo integer futurus: itaq̄
ualitudinem conseruaturus sit: ut non indigeat medi
corum: aut uictu: aut manu: aut medicamentis: quib⁹
qui minus additi sunt: melius ualent: rarius egrotant
tardius consenescent: & lætius uitam uitalem uiuūt
At tu uero Pontifex Max. hunc solūmodo delecta
tionis causa legere poteris: cum nulla amplius præ
cepta te erudire aut docere possint omnium scientia
rum scientissimum: qui sicut Philosophorum studi
is ad bene uiuēdum: ita medicorum institutis ad be
ne ualendum minime indiges: qui summa doctrina
atq̄ incredibili sapientia oēm bene beateq̄ uiuēdi ui
am & rationē percepisti: ac fœlicissimo fortunatissi
moq̄ usu cum omniū laude & admiratione tibi pla
ne confirmasti: Vale.

Hippocrates de natura hominis
ab And. Brent. Pat. Con. uersus.



Vi cōsueuit audire eos qui de humana
natura altius q̄ ad medendi facultatem
pertinet: disputant huius certe oratio: ut
ab aliis audiatur: apta non est. Neq; n.
prorsus dixerim hominem aerem esse aut ignem esse
aut aquam aut terram aut aliquid aliud quod mini-
me unum in homine inesse manifesto apparet. Sed
id quibus placet dicere permitto. Atqui mihi quidē
non uidentur huiusmodi homines recte sentire. Nā
cum idem sentiant: idemq; concludant: loquūtur ta-
men diuersa. Aiunt enim unum quid esse quod est.
ac id esse unum & omne: uerbis autem discrepant.
Quoniam id unum & omne eorum alius asserit esse
spiritum: alius cōlorem: alius liquidum: alius aridū.
Tum sua quisque ratione concludunt argumenta ac
testimonia & indicia afferunt: quæ nullius sunt pe-
nitus momenti. Quod uero eodem sunt sensu: uer-
bis autem dissentiunt. Ea re patet eos ignorare quæ
profitentur. Quod quidem his præcipue perspicere
licuit qui illorum cōtentionibus interfuerint. Nam
cum iidem illi boni uiri eodem in cōsectu atq; con-
sensu auditorum inter se contendant nunquā tamen
in eodem sermone unus idemq; uir tres: deinceps ali-
os conuicit. Sed modo hic superior est: modo ille: mo-

do cui præferim cumq; fuerit lingua magis fluxa;
magisq; in turbam idonea. Qui autem recte sentire
putans aliquid de rebus pollicetur: is merito ratios
suas probabiles atque inuictas semper affert. Siqui-
dem uera intelligit & recte demonstrat. At uero isti
quidem uidetur imprudentia sua non tam in uerbis
dum disputant: errare: q̄ etiam Mellissi sententiam
sequi atq; probare. sed de his hæc tenus: Etiam ex me-
dicis quidem hominem sanguine tantum: quidam bi-
le: quidam pituita constare dicunt. Ipsiq; omnes ean-
dem subiiciunt cõclusionem. Aiunt enim unũ quid
esse: cui nomen ad illorum cuiusque libidinem im-
ponitur: porro id unum formam & uim mutare a cõ-
lore: uel etiam frigore coactum. Mox dulce aut ama-
rum: aut album: aut nigrũ: aut aliud quid diuersum
fieri. Verum hæc non sic habere mihi uidentur. Nã
si homo una re constaret: nullo unquam morbi ge-
nere afficeretur. Neque enim esset: unde doleret cum
unum tantummodo foret. Quod si affligeret: una
utique curatio necessario foret. Contra nunc plures
existunt. Quia plura in corpore sunt: quæ cum plus
iusto inter se calefiunt: aut refrigerant: aut siccescunt:
aut humefiunt: morbos pariunt. Ex quo multa ha-
bentur egroratorum genera: & multe quoque illa-
rum curationes. Cæterum mea quidem opinioe qui
hominem sanguinem & nullam aliam rem esse cen-
set: his deberet demonstrare eum etiam non nutare

formā: aut uariari: aut saltem aliquod anni tempus:
aut hominis ætatem ostendere qua sanguis solus ap-
pareret esse in homine. Verisimile nāq; fore aliquod
tempus: quo id unum in seipso esset. Hæc a me dicta
etiam in eos conueniunt qui bili siue pituitæ tantum
tribuunt. Ex quibus uero hominem ego constare di-
xerim ea & secundum legem & secundum naturam.
cum & uniuersiusq; ætati tam iuuenili q̄ seuiti tum
tempori tam calido q̄ frigido conuenire demonstra-
bo: atq; signè etiam argumenta afferam eaq; aperiā:
quibus necessario quodq; auget aboleturue in cor-
pore. Primum generatio ab uno fieri nequit. Quo-
nam enim peracto unū quid generare posset: nisi qd
aliud admisceretur? Tum nec quæ miscentur: genera-
rent: nisi essent eiusdem generis eandemq; haberent
facultatem. Rursus nec generatio q̄dem nobis per-
fecta foret: nisi calidum & frigidum siccum & humi-
dum inuicem temperate & pari modo se haberent ali-
ter manis esset: si alterutrum altero ualentius infir-
miusue foret. Proinde qui uerisimile est: ut aliquid
ab uno generetur: cum id ne a pluribus quidem fie-
ri possit: nisi mutuo temperamento mixtis. Cum igi-
tur natura eiusmodi sit: cum omnium reliquarum
rerum tum etiam hominis necesse est hominem non
una re constare: sed unum quodq; eorum: quæ gene-
rationi suppeditauerint talem quampiam uim in cor-
pore possidere: qualem contribuerit. Rursus homi-

ne animam agente singula in propriam naturā discedunt. udum inquam in udum. siccum in siccum. feruidum in feruidum. algidum in algidum. Nempe talis est tum animantium; tum cæterarum omnium rerum natura. Omniaq; sic orta: occidunt similiter. Ex his enim quæ prædiximus omnibus cuiusq; natura consistit; desinitq; pari ratiōe cum id in seipsum unde concreuerit se receperit. Corpus autem humanum habet in se sanguinem & pituitam & bilem duplicem tum flauam tum etiam atram. Ex quibus & consistit & egrotat & ualet. Valet quidem præcipue cum ea inter se uim & copiam mediocriter temperatas maxime quæ permixtas habuerint. Contra laborat: cum eorum aliquid est plus minusue iusto: siue cum in corpore secretum est: neq; cum aliis confusum. Quod quidem non modo locum ex quo abscesserit afficit: uerum etiam ad quem abscesserit exercet: propter nimiam & exuperantem copiam. Vtq; si quid citra superfluitatem foras eruperit negocium præbet propter exinanitionem. Similiter intus si uacue fit migratue aut ab aliis excernitur duplicem molestiam præbeat: necesse est: quemadmodum dictū fuit: uidelicet unde abscesserit ac ubi exuperat. Qd uero dixi me quibuscunq; hominem constare statuerim: ea semper esse demonstraturum secundum institutum & naturam. Idcirco aio sanguinem esse & pituitam & bilem; tum flauam; tum atram. Atq; ho

rum nomina: Primum quidem instituto distincta esse dico: quod nulli eorum idem nomen inditum sit: de inde secundum naturam formas discrepare minimeque pituitam similem esse sanguini: aut sanguinem bili: aut bilem pituitae. Quoniam enim pacto inter se similia esse possunt: cum neque ad uisum neque ad tactum similia esse cognoscantur. Neque enim pariter calidae: siue frigidae: siue siccae: siue humidae sunt. Ergo quando tantum inter se & forma & uis differunt: necesse est ea non esse unum siquidem neque ignis & aqua idem sunt. Quod ea omnia unum non sint sed ex ipsis quodque propriam uisum atque naturam trahant: uel hac una re tibi maxime constare posset. Quia pharmaco quod pituitam siue bilem aut flauam atram cito: dato: pituita siue bilis flaua aut atra tibi euomitur. Item aliqua corporis pars uulnere affecta tibi sanguinem emittet. Atque omnia usu haec tibi uenient tam inter diu quam noctu: tam hieme quam aestate: nullo temporis spacio intermisso donec homo spiritum accipere reddereque potest: poterit autem: donec aliquo istorum prius cognatorum. Quae quis negaret esse congenitas: cum luce clarius appareat hominem dum inter uiuos agit: cum ea omnia in se semper habere quae nunc dico atque demonstretum etiam natum altumque ab homine eadem illa omnia habente. Qui autem unum quid esse hominem putant. Hi mihi propterea in hanc opinionem uenire uidentur quod ex iis quae e potio phar

maco inter purgationes animam efflarūt: quosdam
bilem quosdam pituitam euomentes conspiciatī: pu-
tarunt hominem quoduis illud esse quod per purga-
menta morientem eiicere conspexissent. Eadē nitun-
tur ratione qui hominem dicunt esse sanguinē: quo-
niam cruorem qui sibi sub conspectum ex iugulatis
hominibus manans subiicitur animum in hoīe esse
putarunt. Hæc sunt quibus omnes istī utūtur in su-
is sermonibus: argumenta. Verum qui bilem solum
per purgationē eiecerit adhuc mortuus est nemo: sed
sumpto pharmaco quod bili mouendę est: primum
bilem: mox pituitam: porro alteram bilem atram &
quidem per uim tum demum moribundus sangui-
nem euomit purę qđ idem contingit his qui sumūt
potiones pituitā mouentes. Primum enim pituitam
deinde bilem flauam ex hac atram. postremo sangui-
nem purum euomunt atq; e uestigio finiunt uitam.
Nam pharmacum cum corpus intrarit primo id qđ
omnium maxime sibi secundum naturam cognatū
atq; sibi est: agit exinde reliqua trahit & purgat quę
admodum stirpes & semina terram ingressæ sibi qđ
ex ipsarum natura est trahunt: uel acre. uel amarum
uel dulce. uel falsum. quam uel aliud quid diuersum
imprimisq; ex eo plurimum quod sibi naturali pro-
pinq̄uitate maxime cōiunctū est arripiedo tū cętera
deinceps attrahedo: talē quoq; modū pharmaca ser-
uant. Quæ bilē mouent primū meracissimā purgāt

deinde mixta. Item pituitæ pharmaca primum mera
ciorem pituitam ciunt post cõfusam. Iugulatis san-
guis fluit primo quidem feruētissimus atq; perq̃ ru-
dibus: mox magis pituitosus magisq; biliosus: hie-
me crescit in homine pituita. Quod ip̃a præcipue ex
omnibus quæ in corpore sunt: natura sua eo tempo-
re frigidissima est: argumento: quia si pituitem: bilē:
sanguinem tangere libuerit: pituitam profecto faci-
le omnium algidissimam reperies: tamē & si lentissi-
ma sit ac non nisi summa cum uiolentiã secundum
atram bilem citetur. Quæ enim per uim ueniunt ea
propter uiolentiã feruentiora redduntur. Sed tamē
præ his omnibus pituita suapte natura multo frigi-
dissima appareat. Quod autem hiems corpus pitui-
ta impleat: tibi patebit cum ex sputo & mucco ac pi-
tuita nasi: quæ hieme supra modũ fluētia e mūgun-
tur: tum uero ex cæteris morbis pituitosis p̃sertimq;
tumoribus qui præcipue eo tempore maxime albi-
cant. Vere autem pituita in corpe ualētissima inest.
Sed sanguis crescit: scuscipitq; indies magis incre-
mentum: tunc enim frigora remittuntur & hymbres
relaxantur: ex quibus & dierum quoq; tepore san-
guis augetur cuius naturæ id anni tempus quoniam
humidum est & etiã calidum: maxime consimile
existit: iudicio quod homines neruo æstiuoque tem-
pore potissimum terminibus corripuntur: ac supra
modum calefcunt & rubent: atq; sanguis e naribus

fluit. æstate uero adhuc sanguis tum uiget sed bilis
effertur accrescitq; & in autumnum pertinet. In au-
tumno sanguinis parum est: quia illius naturæ id tē-
poris contrarium habetur. Bilis & estiuo & autum-
nali tempore imperium corporis obtinet: argumen-
to q; homines & sponte sua & per purgationum po-
tiones bilem biliosissimas quæ res euomunt uel ex-
ernunt. Quod idem ex febribus & hominum colori-
bus patet. Pituita æstiuo tempore lōge infirmissima
est q; ei tempus ob colores siccitatesq; uehemēter ad-
uersat: autumnō sanguinis quota pars est in homi-
ne. Quoniā id tempus siccum est & hoīem iam refri-
gerare incipit. Sed atra tunc bilis q̄ plurima est et po-
tentissima quæ instante uero hieme decrescit immi-
nuiturq; refrigerata. Rursus pituita uicissim auget:
tum ab imbribus numerosioribus: tum a noctibus
longioribus profecto hæc oīa semper habet corpus
humanū: quæ certe non negauerim pro temporis cir-
cumstantis qualitate ac ppria cuiusq; natura sepa-
ratim modo maiora modo minora fieri. ut ann⁹ om-
nis oīm istarum rerum caliditatis scilicet & frigiditatis
& siccitatis & humiditatis particeps est: neq; n-
quepiam illarū uel quota tempis parte consisteret si-
ne reliquarū omnium quæ in hoc mundo sunt con-
sortio. Immo si qua deficeret: oēs simul abolerentur.
Quippe quæ ab eadē sunt constitutæ necessitate in-
uicemq; alūtur & sustentant. Simili modo homo

si quid eorum ipsi deficeret quæ congenita sunt : nõ
amplius uitam degere posset. In anno modo hiems
maxime: modo uer: modo æstas: modo autumnus ui
get. Haud aliter in homine interdum pituita domi
natur: interdum sanguis: interdum bilis: tum flua:
tum atra: euidentiore quoq; argumento: quia si qua
ter in anno eidem homini: unam eiusdẽ generis poti
onem dederis: hieme tibi euomentur pituitosissima:
uere humidissima: æstate biliosissima: autumno ni
gerrima. Cum igitur hæc ita se habeant: oportet egro
tationes quæ hieme incrementum suscipiunt: æstate
desinere: & ecõtra: quæ æstate creuerint: hieme termi
nari: nisi intra dierum circuitũ de quo postea loque
mur: absoluantur. Vernorum morborũ liberatio in
autumnũ expectanda est: autũnalis aut: ueris tem
pore liberentur necesse est. Hæc uero quisquis stata ^{morbus}
tempora superauerit: hunc fore annum scire oportet
Sic medicum morbis mederi oportet habita bene cui
iusq; q in corpore pro tempore & eius natura uiget
ratione. Imprimisq; præterea nõ ignorare debet mor
bis qui ex impletioe pficiunt: ex inanitioe curari &
e diuerso: qui euacuetioe proueniunt: sanari saturi
tate. Qui a labore hos quiete: q ex ocio eos exercitati
one euinci In sũma oportet medicũ scire obsisteri in
statib9 morbis & formis & tpiibus & etatib9 & con
tẽta laxare & laxata cõtẽdere talẽ nãq; mō morbi ui
ciũ facillime desisteri poterit. & hoc sanatio eẽ uidet

Observationes morborum.

¶ Morbi alii a uictus genere. alii a spiritu quem tra-
hentes uiuimus: proueniunt. Sed de utrisq; hoc modo
disceptari atq; diiudicari oportet: cum una egritudi-
ne cōplures eodem hoies tēpore corripunt: causam
ad id reuocare debemus qđ maxime cōmune est quoq;
omnes utimur: id autē spiritus est quē accipimus red-
dimus quæ tunc enim uictum nostrū nequaquam in
causa esse manifesto constat: cum morbus oēs pariter
attingit tam iuniores q̄ seniores: tam foeminas q̄
mares: tam temulētos q̄ abstemios: tam qui ordeace-
um q̄ qui triticeum in cibatu sumunt panem: tā qui
parum q̄ qui multum laborant. Ergo non uictus ra-
tionī in causa ponēdum est. Cum homines quoquo
uescendi modo utentes in eandem incidunt egrotati-
onem. Cum uero eodem tempore diuersi morbi gi-
gnuntur sine dubio uictus cuiusq; culpa est. Opor-
tet itaq; remedia adhiberi oū morbi occasio est quē
admodū a nobis alibi dictū est: repugnādo: tum eti-
am uictus genera mutādo quādoquidē cibos qbus
homo uti solitus est nequaquā aptos esse liquet uel uni-
uersos uel plerosq; uel unū eorū quēpiā qđ cum didi-
ceres inspecta tñ & cōsiderata ut a me iam dudum di-
ctum est hoīs natura etate forma & anni tpe & mor-
bi genere: debes uictū mutare & remedia facere mo-
do demēdo modo addendo: cum hoc ut oēm curati-
onem tuā siue uictum ad cuiusq; etatis habitū tēpo-

ra formas morbosq; dirigas. At qui si morbus unus
 omnes promiscue & uulgo inuestat: clarum est non
 uictum: sed que trahimus spiritum in causa esse quip-
 pe qui morbidam plane quandam excretionem habe-
 at. Perpetuum igitur est hoies per id temporis hec ad-
 imoneri. s. ne uictum mutant qui morbi causa non ex-
 stat: pspiciant ut corpus sit q solidissimum atq; at-
 tenuatissimum cibis potibusq; quibus uti consueue-
 rint sensim demendo: quia si festinantius uictus mu-
 taretur a mutatioe periculum foret: aliquid in corpo-
 re innouandi. Quare solito uicto utendum est cum
 noxæ causa sit nulla hominis. Insuper ut q paucissi-
 mus spiritus corpus ingrediat isq; ut maxime pere-
 grinus sit prouidendum: tum loca in quibus morb9
 grassatur: quoad fieri potest mutando: tum corpora
 attenuado. Sic enim minime multo ac denso homi-
 nes egeant spiritu. morbi qui a corporis membroru
 ualidissimo ppsciscuntur grauissimi sunt atq; si ibi
 ubi cepti sunt: manserint: necesse est ualidissimo me-
 brorum laborate totum corpus laborare. Sin autem
 ab imbecillioribus se inualidissima insinuauerint fa-
 cilius absoluuntur: quia ui facile uindicantur que in-
 fluunt.

καὶ ἐπὶ τῶν α
 αγγείων ἀφ
 κλητῶν ἀπὸ τῶν
 χυμῶν τοῦ
 λεπαί αἱ ἀπολυ
 ἢ τῶν ἰσχυρῶν
 ὁμοσά δὲ ἀπὸ
 τῶν ἀσθενε
 σῶν ἐπὶ τὰ
 ἰσχυρότατα ἔλθουσι, ὡς ἡλυτῶτα ἔσται. ἀπὸ τῶν ἰσχυρῶν ἀπαλλὰς
 σελαί ρησίδωσ τὰ ἐπιρρέοντα.

De Venarum natura.

Venæ corporis crassiores ad hunc modum oriun-
 tur quattuor paria sunt. Primum q; ab occipite or-
 tum: tendit per ceruicem summa per reptas latera spi-

τῶν ἰσχυρῶν ἀπαλλὰς
 σελαί ρησίδωσ τὰ ἐπιρρέοντα.

næ ad clunes & crura : deinde per tibiás & malleolos
exteriores ad pedes: quã obrem doloribus dorsi & co
xarum de poplitibus malleisue exteris sanguinẽ mit
ti solitum est.

Secundum uenarum par de capite circum aures per
ceruicem iugulariã dicte sunt: intus propter spinam
& lumbos ad testes & fœmora perfert: atq; per popli
tes & tibiás propter interiores malleolos ad pedes.

Quapropter doloribus lumborum et etiam testium
sanguinem poplitibus aut malleolis mittimus interi
oribus.

Tertium par uenarum a temporibus per ceruicẽ sub
scapulis porrigitur ad pulmones et altera de parte de
xtra in sinistram pergẽs mamam subit & ad lienem
renemq; descendit: altera de sinistra in dexteram pro
cedens a pulmonibus mamam subit mox iecur petit
& renem: utraq; postremo ad podicem definit.

Quartum par ortum a sincipite de sede oculorũ per
ceruices ad humerorum clauiculas deuenit: unde per
lacertos ad agilem mox per cubitos ad uolam & di
gitos unde intus remeans ad alã propaginem mit
tit: quæ summas costas perreptat : dum altera ad lie
nem altera ad iecur perueniat. Deinde utraq; eminẽs
per uetrem ad genitale definit. Ita uene crassiores ha
bent. Procedunt quoq; a uentriculo per corpus aliã
per multæ & uariã uenulæ ramuloꝝ modo per quas
alimentum corpori transmittitur. Quod a crassis ue

ουζμαρπας. i.
αια uabent.
ευμαρπας
καγιλλας

nis & interioribus & extimis ferunt uentriculo & reli
quo corpori sibiq; inuicem subministrant interne.
scilicet externis & externe internis: quamobrem has
mittendi sanguinis rationes seruare aptissimum est.
Operæq; precium est: ut cultellus q̄ longissime a lo
co ubi dolor esse & sanguis cogi didicit adigat: quia
talí modo haud magna repente mutatio fieret & con
suetudo remoueretur eodem amplius coeundi: om
nibus qui aut febre integri multum puris excreant:
aut dolori uacui sedimentum urinæ ad modum pu
rulentum aut stercora cruenta sicut in torminib⁹ &
diuturna habet qualia esse solent iuuenibus quinque &
triginta annos natis & hominibus etiam grandiore
euo. his omnibus eadem illa res morbi causa existit
Quapropter eos exercitationibus atq; corporis labo
ribus deditos esse oportet: ac ne operariorum quidem
labores in adolescentia subterfugere: deinde labori
bus remissis corpus implendum est molli carne & a
priore multum differente: ita ut adeptum & aduenti
cium corpus a superiore & uernaculo discriminis ha
beat multum. Si qui igitur ita affecti quicq; in egro
tatione inciderint: quæ primū euadunt: sed post a morbo
subinde tempore curriculo corpus liquat & ad sanici effi
gie per uenas quæ latissime & puia sunt diffluit. quod
si ad inferiorē uetricim ceteruit: tale ferme quale int⁹
erat foras emittit per meatus secessum: quippe quod utpote
uia decliui & lubrica: haud diu in intestino detineat

in libro de uisceribus
101

244v

quibus in pectore destillarit suppuratiōe infestant quā
diutius in pectore sedens cū ueluti accliuū expurgati
one sursum uersus difficulter eiciatur marcescit &
suppurat Si ad uesicam eruperit a loci calore calfit al
bum redditur secernitur ac rarefit rarefactumq; de
super fluitat: pars crassa subsidit quæ pus dicitur.
Ideoq; pueris calculi concresecunt ob eius loci & reli
quæ corporis caliditatem. Quod usu uiris nequaquā ue
nit propter corporis frigiditatem. Non alienū est sci
re hominē prima die supra quā possit esse calidissimū
nouissima autem frigidissimum. Neesse autem est
calere corpus quod adolefcit & ad uires incrementū que
tendit: e diuerso illud supra modum frigere quod cœpe
rit ab olerī & tanquā maturæ ac uium atq; caducum in
ruinā præceps festinare. Atq; hac ratione homo pri
ma die quinto maximum suscipit incrementum: eo ma
gis calefcit. Sic extrema quinto plurimū uitalis roboris
detrahīt: tātō frigidiorē esse neesse est. ex illis autē q
predicto modo affecti sunt: pleriq; sponte sua si tēpe
stine. s. quinto & quadragesimo die liquari cœperint:
sanescunt. Sin autē ea dieꝝ metā præterierint: p se annū
cōualescūt: nisi uero quapiā alia re homo offendatur
Morbos qui sensim oriunt & quorū causæ cognitu
faciles existunt: tutissimos appellare licet quare p sen
tissima curatio morbi causæ occurrat. Qua sublata:
morb9 absq; negotio discedit. quib9 in urina ad are
nularū similitudinē aliqd subsistit seu pori. i. tophi lapilli:

b z

υτ μάλιστα

πρωτοι

his tubercula ad crassam uenam enata sunt : atque
suppuruerunt. deinde cum ea haud ita cito erumperē
tur: pori deuoluti expure atq; per uenam simul cum
urina in uescicam extruduntur. Si uero urinae cru-
entæ sunt : in uenis uitium est. Si urina quæ crassa
est: habuerit ad effigiem capillamenti carunculas ad
modum minutas: signo est uitium esse in renibus et
articularibus. Si pura & in summa urina ueluti fur-
fures. huc illuc quæ innatent: scire licet uescicæ scabi-
em subesse.

¶ De Febris.

¶ Magna ex parte febres a bile sunt : genera earum
quattuor sunt absq; illis quæ doloribus eueniunt.
Nuncupantur autem continens: quotidiana : tertia-
na: quartana.

Continens acopiosissima atq; meracissima bile pro-
uenit & per q̄ breui iudicatur. Quoniã corpus a ue-
hementi calore feruefactum dum nullo temporis in-
teruallo refrigescit celeriter soluitur & absimitur.

Quotidiana secundum continentem a largissima bi-
le est. & ex omnibus aliis citissime euincitur. Longi-
or est continente : quo pauciore ex bile uenit. Tum
quia corpus propter intermissionem requiescit in cō-
tinente autem nullo unq̄ tempore quietam habet: qa
nulla fit inter capedo.

Tertiana diuturnior est q̄ quotidiana : a minore bile

oiv l' uel a

accedit quanto plus in tertiana q̄ in quotidiana cor-
pus requiescit: tanto diuturnior est q̄ quotidiana.

Quartana alioquin pari ratioe longe diuturnior ter-
tiana est. tum quia minus bilis habens aestum affe-
rentis: tum quia corpus ampli⁹ refrigescit: q̄ ab atra
bile id superantis materie proficiscitur ac difficulter
euellitur. Nam cum ea inter omnes corporis humo-
res letissima & glutinosissima sit diuturniores sedes
constituit. Quod autem febres quartanae atrae bilis
participes sint: hac re tibi patebit: quod homines au-
tumali potissimum tempore: & in aetate uiginti quinque
annorum usque ad quadragesimum quintum annum
quae ex omnibus aetatibus maxime atra bile detine-
tur corripuntur quartanis: quibus autumnus inter
omnia alia anni tempora expositissimus est. Quos
igitur ultra citraue id tempus: ac eam aetatem quar-
tana accesserit pro comperto habere debes hanc fe-
brem minime diuturnam fore: nisi quid aliud homi-
ni officiat.

¶ De uictus ratione.

¶ Idiote homines hanc uiuendi regulam seruare de-
bent. Hieme cibi plurimum potus minimum sume-
re. potus sit uinum: quam meracissimum cibi panis
& opsonia omnia assa: oleribus per id temporis qua
paucissimis utendum est: sic enim corpus siccum erit
& calidum. Vere autem potu largiore uino diluto &

sensum: cibis mollioribus & paucioribus uti conue-
 nit: & dempto pane. Maza adhibenda est pari modo
 omnia assa demenda: in quorum locum succedet eli-
 xa. Item oleribus perpaucis utendum donec homo
 in aestiuo tempore constiterit cibis ut dixi exigendo
 mollioribus & obsoniis & oleribus coctis & crudis
 & potu copiosiore: sed paulatim & sensum: ne magna
 subito mutatio fieret quae noxia foret. Estate & mol-
 li maza: & potu dilutiore ac largiore & omnibus op-
 soniis elixis ali hac de re expedit ut corpus refrigere-
 tur & emolliatur. Etenim tempus illud calidum est
 & siccum: ac corpora reddit estuantia: & siccitate in-
 durescentia. Oportet igitur ab huiusmodi uictus
 studiis atq; remediis auxilium petere: atq; pari mo-
 do sicut ex hieme ad uer: ita a uere ad aestatem proce-
 dendum est: partim cibis demendo partim potu ad-
 dendo: sicq; quot annis agendo tum demum ex aesta-
 te hiemem ingrediendum erit. Versa uice in autum-
 no cibi debent esse plures & sicciores: pariter obso-
 nia pro temporis ratione. Potus autem pauciores &
 meraciores quemadmodum homo commodius hie-
 mem transigit: meliusq; ualet ac minus rigescit: si po-
 tibus parcis & meracis ac cibis quam copiosissimis
 siccissimisq; utatur: quia illud tempus ualde frigidum
 & humidum est.

ἡσθησε

ἀντιπρῶτον

ἀποβῆσθαι

ἡσθησε

ἡσθησε

¶ De uictu pro qualitate corporis.
 ¶ Mollibus quicq; rubrum trahunt colorem: prodest

plurimumq; anni sicciore uictu uti : quod illorum natura humida est . Torosis & qui tenui sunt corpore quinque colore sunt ruffo uel nigro : expedit maiorem anni partem uictu exigere humidiorē : quoniam huiusmodi corpora sicca sunt . Iuuenibus utile est molliore & humidiorē uictu uti : quia etas sicca est & corpora sunt constricta . Seniores oportet maiore anni parte degere sicciore uiuendi modo . Corpora enim ea in etate humida sunt & mollia & frigida : qua propter omnia uictus genera ad etatis habitū anni tempora : ac locorum hominumq; naturam accommodanda sunt : instantibus algoribus & frigoribus occurrendo sic enim bona ualitudo maxime conseruari poterit .

στυφρω

μεπκτ

De exercitatione .

Hieme celerius atq; concitatus ambulandum : contra aestate tardius & lenius nisi per aestum eatur . Habunde est iubere corpulentos acrius ambulare macilentos uero lenius .

ήουχί

ήουχίτοπον

De Balneis .

Balneæ aestate multæ non incommodæ sunt hieme pauciores . Sed torosis & gracilibus quam corpulentis commodiores habentur .

De Vestimentis .

Hieme uestimenta indui ualde pura & rudia perutile est . Estate uero infecta atq; etiam mollia : e diuerso macilentis .

ελασπινβα

COpimi & qui attenuari cupiunt: oportet ieiunos quoque laborandi modo se exercere: postea deinde cibos admittere: cum adhuc ab exercitationibus anelant necdum refrixerunt: prius tamen uino diluto nec admodum gelido epoto: tum uero obsonia quae adhibentur sesamis & rebus dulcibus: caeterisque id genus condinatur & pinguia sint hac ratione ut paucis minimisque: contenti citius expleantur & saturentur: quin etiam perpetuum est semel in die commesse balneo supersedere: duriter cubare nudum quo ad eius maxime fieri potest ambulare: qui tenues sunt impleri ideoque desiderant: cum caetera his quae diximus contraria facienda sunt: tum etiam supra omnia ieiuno stomacho: nihil laboris aut exercitationis pagendum est.

Vomitus & alui lociones ita recte fieri conuenit: sex hiemales menses uomitu uti non alienum est: nam id tempus magis pituitosum est quam aestas. Atque circa caput & locum qui praecordiis impendent morbi gignuntur. Vrgente autem calori clysteribus ideo utendum est: quia tempus aestuosum & corpus magis biliosum est ac lumbis & genibus grauedines necnon inflammationes exoriuntur: itemque inferiores uentriculi intorquentur: glomeranturque: ac etiam in eis tortiones fiunt. Ergo corpus oportet refrigerare: & quae summa innatant superflua subinde deorsum uersus educere pinguioribus & etiam humidioribus

uitis: clysteres conueniunt falsiores & tenuiores sic
cioribus autem & qui astricto corpore quicq; tenuio
re ualitudine sunt: expediunt: pinguiore & spissio
res ex quo genere sunt quæ ex lacte cicerisq; cremo
re ac aliis eiusmodi rebus constant. Tenues autem
& falsi sunt brassica mare & cætera id genus.

¶ Quomodo Vomitus fiant.

¶ Vomitus ad hunc modum eliciendi sunt homines
qui corpulenti sunt & non graciles: ieiuni a cursu &
acri ambulatione: ad meridiem euomant: emina di
midio hisopi triti in aque sextario cui sal inditus fue
rit & acetum infusum ut id gustu suauissimum ha
beat. epoto primum quidem quietius deinde post
ea largius qui macilentis sunt & natura imbecilliores
a cibis uomitum hoc modo moueant. calida aqua la
uent: loti primum meraci uini emina bibant: dein
de cuiusuis generis cibos edant: minimeq; inter eden
dum aut a cibis bibant sed contineant eatinus quate
nus decem stadia transegerint: tum tria uini genera
austeri dulcis & acris commixta primum meraciora
sensim: post dilutiora largius bibant. qui autem bis
in mense uomere consueuit melius haberet: si conti
nuo potius biduo: q̄ quintodecimo quoq; die id fa
ceret. Sunt qui ex toto contra agunt: quibus uero ap
tum non est cibos per uomitum eicere: aut quibus al

uūs non respondet : omnibus his expedit sapius in-
terdiu esse; & diu erforum generum eduliis & opsoni-
is omnimodo cōditis uti; Item duas uel tres uini spe-
cies potui adhibere. Aut uero contrario huic penitus
modo facere prodest qui cibos euomunt; quiq; infe-
riores uentriculos humidos habent.

¶ Infantium uictus.

¶ Infantes diu calida abluendi sunt; ac uinum dilu-
tum; nec frigidum prorsus potui dandum est. Atqui
id aptissimū fuerit quod nequaquam sursum efferre uen-
triculum aut inflare idoneū est. Hac propterea fiūt
ut neruorum distentionibus minus opprimantur utiq; in-
crementū suscipiant; & meliores colores trahant.

¶ Mulierum uictus.

¶ Mulieribus sicciore uictus ideo seruandus est quip-
pe quarum corporum molliciei maxime conferat.
Insuper meraciores potus. Quia uuluis & natibus
cæterisque locis proximis alendis et amplificandis ma-
gis idonei sunt.

¶ Exercitationis modus.

¶ Qui se exercet; oportet hieme tum currere tum lu-

Etari: æstate uero luctari paulū: nequaquā currere multum: sed leniter & ante & post æstum deambulare. Qui ex cursu defatigantur: hos luctari decet: quib⁹ lucta laboriosa est: his cursus cōmodus est. Qui enī corpus laborioso exercendi genere affligit is cōcalescat contrahaturq; ac lassitudine cesset. Quos in excitationibus alui profluuium cœperit: ac secessus in ciborum modum & crudi exeunt: his perutile est nō minus quam tertiā ex exercitatiōibus partem & e cibis dimidiā eximere portionem. quoniam liquido constat aluum pre nimio calore non posse ita ut tantum ciborum conficiat. His igitur in cibatu idone⁹ erit panis q̄ assatissimus in uino emolitus: & potus q̄ parcissimi ac meraciores & a cibis deambulatiōes nec non sub id tempus semel cōmēsse satius est. Sic enim aluus maxime calesceret atq; ingredientia retineret. Sed tamen hic fluor nō nisi usu hominib⁹ uenit: qui cum carnosī sunt & pleniore ac predēso corpore: carnem quoq; coguntur in cibatu sumere. Qd̄ cum fit: uene densantur eaque de re cibos introeuntes non admittūt. Nempe etiam talis natura morbis oportuna est acutis: & ad utranq; partem ueritur. Nec multum diu bonus habitus in huiuscemodī uiget corporibus: contra qui rariore philosioresq; carne sunt: cibi appetentiam habent: magisque labores perferunt atq; diuturniores etiam illis contingunt. bonæ ualitudines. Qui uero altera die cibos eructāt

ac hipocondria idest sub cartilaginea eleuantur: ut
crudis cibis. s. hos paulo diutius sono indulgere: &
corpus laboribus defatigare oportet: tum uinum me-
ratius copiosiusq; bibendo: tum cibis eo tpe pauciori-
bus utedo. Scire enim licet aluum pre debilitate atq;
frigiditate: non posse tantam ciborū copiam cōcoque-
re. Quos sitis infestat: hos oportet cibis & laborib;
demere uinum dilutum & q̄ frigidissimum bibere:
qui ex uisceribus aut exercitationibus; aut alia qua-
piam defatigatione dolorem cōtraxerint his ieiunis
requiescere prodest: & potibus uti: ut quo minus ci-
bi sumptum fuerit: eo plus urinæ ciat ne uenæ que
uiscera permeant; implete intendant. unde & tuber-
cula oriri & febres gigni solent: si cui cerebrum mor-
bi causa existit: torpor caput primum occupat: mens
non constat: crebro meit: cæteraq; quæ in morbo de-
stillationis: urinæ eueniunt: patitur: ac intra nonem
diem hoc uexatur malo. Tum demum si per nares &
aures liquidus humor uel sordes exuperint morbus
propior sanitati censetur: & urinæ distillatio cessat:
urinam uero multam & albidam: siue sine labore in-
tra uicesimum diem meit: tum doloris caput desinit:
atq; demum intuenti respondet integer lucis splen-
dor. Omnes igitur homines qui iudicio premiti sunt
debēt ex egrotatione secum reputare q̄ magni sit esti-
manda sanitas: exinq; sibi suæq; ualitudine scire con-
sulere.

¶ Oliuero Cardinali Neapolitano Andreas
Brentius Salutem dicit.

Altero crasso cēfore nunc opus esset Oli
ueri princeps optime qui ut olim prauos
Rhetorice magistros substulerat: sic ho
dierno tempore litterarū gymnasia corri
geret. In quibus iuuentutis nostræ ingenia non so
lum non acuuntur: sed obtunduntur & dediscunt di
scendo: cum ludī qui humanitatis & modestiē ac do
ctrinæ esse deberent: sint nunc insolentiæ & arrogā
tiæ ac ignoratiæ pleni: ita ut quinquēnio paulo plus
minusue oratores siue Iurisconsulti siue dialectici &
Philosophi & Medici efficiantur: atqui quot quātaque ad
Medici perfectionem. De reliquis enim nunc sermo
non habet: pertineant: cognoscere poteris ex hac me
dicinæ lege: quā græce Hippocrates scripsit. Ego au
tem tibi transtuli existimans legem nulli magis quā ti
bi legum iurisq; cōsultissimo & optimo patrono cō
uenire: simul esset: ut aliquando mirari desinas cur
tam pauci boni medici reperiantur quos oporteret in
stitui liberali educatione doctrinaq; puerili: flagrare
studio a natura ac uniuersorum præceptorum experi
entiis adiuuari ornatissimos sapiētissimosq; medicos
ad cognoscendum imitandumq; proponere auariti
am cæterasq; animi perturbationes remouere quæ
cum a plerisque omittantur nec aliud quicquid illis curæ

sit q̄ lucellū: non est mirandū si quandoq; corpa no-
stra cruciant nō ad doctrinę experimentū sed ad pre-
cium expetita. Vt igit̄ malos prohiberet: bonos aut̄
cōfirmaret: sicut legis officium est: hanc legē subscri-
psit Hippocrates. Quare ut seruaret̄ eius sicut tuorū
iuriconsultorū legū trāsgressoribus pœna adiiciēda
esset: ne temerati & illorū impunitati nostra pœnas lu-
eret innocentia. Vale.

¶ Lex Medicinæ.

Medicina est oīm artium celeberrima. sed
iam multo lōgiore a reliquis artib⁹ spa-
cio ob eorū insciciā qui ea utunt̄: quicq;
temere eiusmodi uiros æstimāt: relin-
quunt̄: Cuius rei præcipua causa mihi esse uideť illo-
rum errata: quia in ciuitatib⁹ sole medicinę null⁹ ho-
nori locus est præterq̄ ignomine. Quādoquidē ab il-
la hoīes ea cōpositi instructiq; minime uulnerentur
Vex enim uero tales uiri psonis quæ in tragediis in-
troducunt̄: per q̄ fides sunt. Vt. n. illi figurā stolā &
personā histriōis habēt: nō sunt tñ omnino histrio-
nes: sic noīe quidem medici mlti re aut̄ per quā pau-
ci reperiunt̄. Nā qui sapiēs omnino & cōsummatus
futurus sit medic⁹: huic opus est natura: ingenio: do-
ctrina: bonis morib⁹: puerili institutione: laborandi
studio: & tpe. Imprimisq; ingenio opus est: qđ si re-

pugnat: cætera oïa uana sunt: sin ad optimã uia pce-
dit: inst itutis ars & documentis percipit: quæ tñ dili-
genter illi etiã uendicanda ac perdiscēda est qui a pu-
ero eruditus sit eo modo quo ingeniosos educari in-
stituiq; oportet. Præterea multo tēpori multū studiū
& laboris eiciendū est: ut iam cōfirmata corrobora-
taq; artis perceptio iucundos fructus sine difficul-
te parere possit. Quēadmodū .n. ea nasci procreariq;
uident: quæ terræ mandant: simili modo medēdi fa-
cultatis cognitio puenire cernit. Ingeniū .n. nostrū
est ueluti ager: doctoz placita sunt: sicuti semina: pu-
erilis educatio: ut tēpestina semētis: locus in quo per-
cipit: quēadmodum circūstans aer satis nutrimento
esse solet: laborādī studiū est ipsa cultura. Sed tēpus
oïa hæc corroborabit: efficietq; ut pfecte nutriantur
atq; maturēt. Hæc quidē sunt quæ ad medicinam re-
ferri oportet: q̄ qui recte hoc mō perceperit urbes fre-
quentādo nō uerbis solū: uerum etiã re medici cēsē-
tur. Nempe imperitiã malus est thesaurus malumq;
ærariū possidētibus: somniū & uisum fiducię ac gau-
diū expers: timiditatis autē & audacię nutritrix. Timidi-
tas .n. facultatis insciētiã arguit: audaciã autē artis ig-
norantiã. Duæ .n. sunt sciētiã & opiniō: quarū altera
efficit doctū hoïem: altera ignorādi .s. sciētiã causa est
sciēdi: opiniō autē ignorādi . sed iniciatis fas est sacra
ostendī: pphanis autē nephas anteq̄ sacris sciētię or-
gīs perfecti institutiq; fuerint.

Joanni Cardinali Nouariensi Andre-
as Brentius Salutem dicit.



Ravis cerre mihi & peracerba luctuosis-
simaq; fuit mors Ianeti Ciprii medici tui
uir optimi & hominis doctissimi & mi-
hi amicissimi: cui postq; uiuo Hippocra-
tis iusiurandum: quod conuerteram: efflagitanti sa-
pius dare non potueram: q; non dum a me extrema
manus imposita fuerat: tibi nunc mittere statui mo-
do recognitum: ne cum iure quasi hereditario cliētis
bona ad te deueniant: te promissi mecum agēte: cau-
sa caderem: mihiq; altero tanto maius dispēdium fie-
ret: aestimata litis impesa. Neue desiderio tuo atq; uo-
luntati diutius obsisterem: q; ex illo intellexerā: non
tantum id sua causa petere q; tua qui ut uir sapiens sa-
pientis Hippocratis iuramentum legere cuperes rem
certe omni pietate & p̄bitate dignam. Mihi tñ unū
hoc prius te affari liceat medicos si hoc iusiurādum
quemadmodū cetera Hippocratis artis p̄cepta ser-
uarent: sine dubio eam qua; ab Homero tribuit lau-
dem cōsecuturos esse. futuros. n. inter alios homines
tanq; principes & dños ita ut nunq; a Romanis urbe
expulse fuissent: aut in illorum ludibrium sepulcris
in scriptum esset. hic turba Medicor; perit. Vale.

Hippocratis Iusiurandum.



Estor Appollinem medicum & esculapi-
um Hygeamq; & Panaceam & reliquos
omnes deos deasq; me quantum corpo-
ris & ingenii uiribus efficere potero: hoc
iusiurandum & hanc singrapham esse seruaturu do-
ctorem scilicet qui me hanc artem docuerit: loco pa-
tris habituru: uictu fortunas ceteraq; qua illi opus
fuerint cum eo comunicaturum: eiusq; proli eque tri-
buturum: ac fratribus quibus natura coniuncti su-
mus hanc artem si illis usus fuerit discere sine merce
de aut pacto doctur. Omnia qua audiuerim queq;
perceperim instituta & reliqua totius disciplinae pra-
cepta tum meis preceptorisq; mei filiis tum discipu-
lis qui iuramento & singraphe ac medicinae lege astri-
cti fuerint: alii uero nemini imptiturum. Vicit⁹ nor-
ma & remediis quo ad eius fieri poterit: p uirili par-
te iudicioq; meo non ad ullam egrotantium offensi-
onem iniuriamue: sed ad eorum duntaxat comodum
atq; salutem usurum: qua noxia sunt & ledunt remo-
turum: nihil per iniuriam facturum: nemini rogatu
mortiferam potionem daturum: neq; id cuiq; consul-
turum: mulieri medicamen ab ortus faciendi causa tra-
diturum nulli. Cum integritate & pietate uitam ar-
temq; meam seruaturum: laborantes calculo nequa-

quam incifurum: sed eius rei peritis id concessurum.
Quascunq; domos intrauero solummodo sanandis
egrotis operam daturum: omni uoluntaria et exicia-
li iniuria: omni libidine: omni deniq; rei uenereæ cu-
piditate remota: quæ in corporibus siue mulierum si-
ue uirorum siue liberorum siue seruorum curandis:
quæq; citra curationem in hominum uita ac consue-
tudine uel uiderim uel audiuerim; uel quoquomodo
modo cognouerim: quæ in uulgus aliquando effer-
ri non oportet: tanq; archana & mystica sacra semper
taciturnum. Mihi igitur pure & sancte iusiurandum
seruanti uita arteq; mea fœlicissime fortunatissime
que frui liceat. Nomenq; meum & gloria apud uni-
uersos homines & nationes imperpetuum celebret.
Transgredienti autem & peieranti contraria omnia
contingant.

¶ Andreas Brētius Hieronymo Trapolino. S. D.

Non est idonea causa Hieronymi cur aliquis Hippocratē dialecticę ignarę fuisse cenfeat p̄pterea q̄ nōdū eius t̄pibus disserēdi facultatis p̄cepta extarent scripta. Nā si sic haberet & medicīnæ quoq̄ rudis fuisse argui posset q̄ ante eū de morbis: sicut ab aliis postea factitatum est: a capite usq̄ ad pedes scripserit nemo Eodē argumēto Plato & Socrates cæteriꝫ antiquiores Philosophi: q̄n Aristoteles adhuc phiā p̄cepta nō digessisset: phiā rudes dicerent: q̄ quidē opinari nō esset uiri sane mētis: nedum docti & prudētis: q̄n quidē licet artes disciplinēꝫ scripto tradite nō essent t̄n erant in ipsa natura: easq̄ hoīes inuestigare & inuenire inuētisq̄ uti poterāt. Qd̄ aut̄ ita sit demōstrat hic Hippocrates tripertita breuissima: acutissimaq̄ ratiōe: quā tibi latinā feci ut cognoscas an ille disputandi artis ignar⁹ fuerit an secus: quo te a cōi errore eximas sapiēter sentiēdo recteq̄ iudicādo Hippocratem omni doctrīna omniq̄ disciplīna insignē fuisse a quo etiā & Plato & Arist. m̄lta dedicerint: cū alter in cratilo alter in libro de interpretatiōe sentire uident̄ noīa rebus posita esse instituto nō natura: quæ sentētia puto nō aliūde sumpta est q̄ ab hoc Hippocratis loco: quē legens iudicare: & ut aiunt oculis cernere: & manibus tāgere poteris. Vale.

Quod artes sunt demon-
stratio Hippocratis.

Mhi certe uidetur nulla omnino ars esse:
quæ non sit. Etenim absurdum esset eo-
rum quæ sunt aliquid non esse censere.
Siquidem ea quæ nõ sunt quis ex uisu
demonstrauit esse? Nã si est conspiceret quæ non ex-
istunt: tanq̃ existentia: nõ utiq; pro comperto habeo
quomodo quispiam ea intelligat non existere tanq̃
existentia. Esto q; oculorum sensu & mentis intelle-
ctu aliquid tanq̃ sit: percipiatur non tamẽ propterea
hoc esset eiusmodi. Quoniam quæ sunt semp̃ cernũ-
tur & cognoscuntur. Quæ autem non sunt: neq; cer-
nuntur: neq; etiã cognoscuntur. Atqui artes demon-
stratæ cognoscunt: nec uero earum ulla est: quæ nõ
ex aliqua forma perspiciantur. Equidem & nomina
quoq; a formis indita esse puto. Non est enim cõsen-
taneum existimare formas a nominibus ortum ha-
bere. Nec fieri potest. Nomina enim instituto natu-
ræ ponuntur. species autem non institutis fiunt: sed
germinant. Si cui igitur hæc quæ dixim⁹ minus no-
ta fuerint: clarius ei reliquis in rationibus patefiet.

do Andreas Brentius Iacobo
Sangenisio Salutem dicit.


Verum illud est Iacobe quod cōmuni ser-
mone usurpari solet uirtutem nullos ma-
iores inimicos habere quā ignaros. Atq;
quanto maior in aliquo elucescit: tanto
plures habet inuidios atque hostes. Quorsum hæc?
Quia cum medicina sit omnium artium præstantissi-
ma & locupletissima: multo semper habuit qui ei de-
traherent & uituperare conarentur: quos q̄ prudēter
& sapienter Hippocrates. ut nobilissimus eius autor
ita acerrimus ipsius tutor atq; defensor reprehendat:
facile iudicabis ex hac parua inuectiua cōuersa quo-
te non paruo frui bono intelligas cum laudem sine
inuidia habeas q̄ facile uitas omnibus recte cōsulen-
do beneq; faciendo: q̄ quidem solam uitam & foelici-
tatem esse te non ignorare arbitror uirum Aristote-
licum & Philosophiæ præceptis instructissimum.


Vale.


¶ Hippocratis inuectiua in ob-
trectatores medicinae.


Sunt nonnulli qui arte putarunt artes uicio dare ut opinantur; ne id quidem quod dico efficietes; nisi uero quod propriae sententiae ostentationem quandam praese ferunt. Atqui mihi quidem magni ingenii singularisque prudentiae esse uideatur aut aliquid quod non repertum sit inuenire. Melius non est inuentum quam quod non est reatum; aut imperfecta perficere. At uero aliorum inuenta cauillationibus uitupare: nihil emendando; sed quae doctorum sunt inuenta apud indoctos reprehendendo nullius consilium rem aut inceptum esse iudico; sed potius quandam naturae puerilitate; uel artis ignorantiam. Istud non solum officium est insipientium uirorum qui nihil arte ualent; sed ambitione duntaxat mouentur; cum nulla penitus facultate habeant aut aliorum scripta uicio dandi; aut quae recta sunt insectandi aut quae recta non sunt uituperandi. Alii igitur aliarum facultatum professores & assertores reprimant atque contendant eos qui tali modo in alias artes inuehantur. Sed praesens oratio illis qui medicinam exagitant repugnabit animosa propter eos quos dantur locuplex propter arte cui opitulatur; robusta propter sapientiam a qua est erudita.

¶ Finis.









Baer

577

In petra exc

nuc exaltat

super unum

Quicumque et

maculo ei³

rationis : ca

mi dicam

Quicumque di

Handwritten text in a cursive script, likely a list or index, written on aged, stained paper. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to the cursive style and fading. Some legible fragments include:

-
-
-
-
-
-
-





